



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Obedientiæ miracula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

genti retributione dignus eris. Qui obediens est, manducans jejunat, dormiens vigilat, & in quiete laborat. Idem in Luc. c. 5. v. 5.

Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Luc. 12. 7. Non quicumque capilli numerantur, sed hærentes capiti. Obediens, suoque adhærens capiti, Dei in se curam provocat. Oliva l. 13. Strom. hîc.

Si in malo inobediencie mors prævaluit; toties vitæ reddimur, quoties obedimus. S. Gregor. l. 2. Expos. in 1. Reg. 3.

Sunt nobis manus tornatiles per obedientiam. Petrus Cell. 5. ep. 1.

Nec tamen jejuniis nimium tribuentes, obedientiam, quæ aurea ad cælum via est, relinquas. Petrus Dam. Opusc. 13. c. 21.

Nullò modò homo salubrius reparatur, quam per præceptum. Sicut prostratus est proprio arbitrio; ita restaurandus est alienò: & sicut per inobedientiam incurerat culpam; sic per obedientiam admittendus est ad gratiam. S. Laur. Just. de vict. obed. c. 1. Lign. vitæ.

§. VI.

Obedientie miracula.

Extende manum, & apprehende caudam ejus: versa est in virgam. Ex. 4. 4.

S. Francisca Romana, officio recitando Mariano in suo cubiculo intenta, per domesticum quempiam accersita à marito, mox pareret, signatò isthuc librò, ubi desit. In una, eademque antiphona resumenda quater vocata, & revocata; ac semper eadem promptitudine digressa, regressaque; quartà demum vice librum manu arripiens, antiphonam illam literis aureis scriptam reperit. Boll. 9. Martii.

Abbas quidam, volens cujusdam fratris obedientiam probare, plantavit lignum aridum; fratricque præcepit, ut tandiu illud rigaret, quousque produceret fructus. Fecit ille hoc per tres annos, & lignum viride factum est, & attulit dulcissimos fructus, quos abbas colligans cunctis fratribus dedit dicens: fratres, comedite fructus S. obedientie. S. Bernardinus c. 2. de pugna spirituali.

§. VII.

Obedientia fortis victoriosa.

Cum dixerit vobis Pharaó, ostendite signa; dices ad Aaron: tolle virgam tuam &c. Ex. 7. 9. Cur Moyses virgam non projecit, sed fratri projicere imperavit? si Moyses virgam projiciat, potestate non obedientiâ, pugnabit: si Aaron præceptis obsequendo præliabitur. Victoria non Martis, sed obedientie filia. S. Laurent. Just. de ligno vitæ c. 3. obedientia facit hominem triumphare. Naxera in Josue 1. §. 52.

Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. Jos. 10. 14. Ad speciem aptius omnipotente pugnante, quam obedientie: quid enim obedientie eum pugna? Verùm Scriptura, ut nos instruat; obedi-

tiam retulit, omnipotentiam tacuit. Id ib.

Vir obediens loquetur victoriam. Prov. 21. 28. Pluraliter dicit victorias (ut legit S. Bonav.) eò quòd vicerit diabolum, vicerit Mundum; &, quòd fuit majus, vicit perfectè seipsum. S. Bonavent. f. 17. de S. Stephano. *Primò* obediens canet triumphum de victo diabolo. S. Greg. l. 4. in 1. Reg. 5. victimæ sunt obsequia obedientium: quia dum pro Deo hominibus subijcitur, superbos spiritus superamus, ceteris quidem virtutibus demones impugnamus, per obedientiam vincimus. *Secundò*. Obedientia vincit Mundum: quia Mundi præcipuum desiderium suis sectatoribus immisissimum est, ceteris omnibus dominari: obedientia verò hoc desiderium rejicit, & calcat. *Tertiò*. Vincit hostem maximè periculosum, carnem, & ejus appetitus. Thomas Kemp. l. 3. de imit. Chr. c. 14. qui non libenter & sponte suo se Superiori subdit; signum est, quòd caro sua necdum perfectè sibi obedit; sed sæpe recalcitrat, & remurmurat. S. Bernardus f. in festo OO. SS. de sec. beat. *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*: hanc ego terram, corpus nostrum, intelligo: quòd si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua; necesse est, ut ipsa sit mitis; & superiori suo subiecta. Primus homo per inobedientiam à Deo descivit, & statim carnem contra mentem sensit rebellem. Insuper obedientia vincit, & reliquas superat virtutes. *Quartò*, vincit seipsum, suam voluntatem, judicium proprium; quæ nobilissima, ut post lapsum difficillima, est victoria. Unde S. Gregor. Mor. l. 35. c. 10. vir obediens loquetur victorias: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Addit noster P. Alvarez de Paz tr. de obed. vincit homo seipsum per obedientiam: nam judicio suo compedes injicit, ac voluntatem catenis illigat, & corpus, ac omnem motum ejus, à noxia libertate revocat. Præmia sic vincit. Apoc. 2. 7. & c. 3. §. 12. 21. *Quintò*, obediens vincit hostes in bello, paganos, hæreticos &c. quia cum in bello milites promptè obediunt capiteo, capitaneus duci; sternunt hostes. Ità Abraham cum trecentis vernaculis expeditis, ac ad nutum obedientibus, prostravit quatuor reges. *Sextò*. Obedientia victrix est maris, ignis, terræ, animalium, cæli, & Inferni. *Maris*: cum Petrus jussu Christi super mare ambulavit. Matth. 14. 29. cum Moyses jussu Dei mare rubrum divisit, ut sicco alveo transirent Hebræi. Ex. 14. 21. cum Josue c. 3. 17. jussu Dei Jordanem dissecuit, & sicco pede castra Hebræorum traduxit. *Ignis*: cum tres pueri Deo obedientes in fornace illasi Dan. 3. 24. Sic in vitis PP. l. 5. c. 14. n. 18. jussu Abbatis pater filium jactavit in fenum ardentem: statim autem factus est fumus velut ros. Religiosus, teste Severò Sulpitiò in vita S. Martini dial. 1. c. 12. jussus à Superiore furnum ardentem ingredi, illasus in eò perstitit. *Terræ, & bestiarum*. Paulus magni Antonii discipulus, miraculorum facultate ipsò magistro major; cum Antonius, quos